

lum? Ecce, in hoc parvo terræ foramine cœlorum conditor natus est, hic involutus pannis, hic visus à pastoribus, hic demonstratus à stellâ, hic adoratus à Magis. Et hic, puto, locus sanctior est Tarpeiâ rupe, qua de cœlo sapius fulminata ostendit, quòd Domino displiceret. Omnino, omnino displicuit, Pater devotissime, fastigiatum illud Pantheon, concameratum istud Deastrorum Deillarumq; concilium, licet inibi, juxta vetustum Poëtam Ennium & disertissimum Tullium, conjunctissima fuerint

—Fides alma, apta pinnis & jusjurandum Jovis.

Quamvis enim excellissimus sit Deus noster, semper tamen humilia respexit & elegit: proinde non tam ipse Bethlehemi, in oppidulo, in stabulo & in præsepio, ex ancillâ contemptâ Mariâ nasci, Nazarethæ, in vico contemptissimo, educari, abjectumq; vitæ genus eligere voluit; quàm ad officia deinde maxima contemptissimos piscatores atq; idiotas convocavit: perinde ut olim quoq; Josephum atq; Davidem, qui inter fratres suos erant contemptissimi, ad regium thronum evexit, & Estherem conjugio Persarum Monarchæ potentissimi Xerxis dignatus fuit. Quin ergo & nos hodieq; Petrinum illud monitum observamus, nosq; sub potenti Dei manu humiliamus, ut ipse nos extollat tempore opportuno. Nolimus nos celebriori patriâ alter alteri fastuosè præferre, quum unum idemq; cœlum sit omnibus commune, quum una & eadem terra rationem habeat & parentis & sepulcri, quum rusticus rusticitatis suæ patronū habeat eum, qui natus est in tugurio, qui jacuit in præsepio. Ludus & scena sunt Roma & Hierusalem, Babylon & Constantinopolis, omnes æquè hospites sumus & claudicantes advenæ, quamlibet appellatione sesquipedalium vocum ludentes. *Vbi sunt, dicit iterum Bernhardus, qui tam impudenter ostentare gestiunt semetipos? Christus elegit, quod salubrius iudicat, vos eligitis, quod reprobatur ille. Quis prudentior è duobus? cuius iudicium iustius? cuius sententia sanior? Aut iste fallitur, aut mundus errat. Sed divinam falli impossibile est sapientiam. Christus utiq; qui non fallitur, elegit, quod carni molestius est: Id ergo melius, id utilius, id potius eligendum, & quisquis aliud doceat vel suadeat, ab eo tanquam à seductore cavendum.* Est siquidem Christus verus panis vitæ hominibus oblatus, uti ipse graviter de sese apud Johannem dicit & verissimè: est purissimum illud tritici granum, quod moriens adeo multiplicem & plusquam ἐναλον ἀπλασίονα fructum protulit, ut ejus adhuc virtute omnes pii cibentur in vitam æternam, si modò per illud in verbo & sacrâ Cœnâ pascantur, ut fructus ferant Deo pla-